



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Dispensationes inspiciendae, ut occurratur abusibus. 33

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

est, Clericum in duabus Ecclesiis conscribi non oportere; quod difficile videatur ut unus vicem duorum sustineat, & absurdum si promiscuis actibus rerum turbentur officia. Id vero inprimis noxium est, ubi plures Parochiæ seu Dignitates uni Presbytero committuntur, quod solus per omnes Ecclesias nec Officium persolvere nec rebus earum necessariam curam impendere valeat. Quare tam eos qui de Sacerdotiis ejuscemodi disponendi potestatem habent, quam qui ea, cæca cupiditate ducti, ambiunt, communitos volumus, ut suos affectus Canonicis institutis submittant; qui vero Dispensatione Apostolica adversus hæc se tueri velint, ut causam dispensationis obtentæ, Deo comprobent. Neque enim sublimes atque admodum literatas personas suo privilegio nudamus, modò illo recte & secundum Deum utantur.

CAP. XXXIII. *Dispensationes inspicendæ, ut occurratur abusibus.*

Quam impudenter plerique diplomatibus ac dispensationibus, apud Sedem Apostolicam extortis, præter summi Pontificis mentem (qui & vult & debet potestate sibi concessa, non ad destructionem, sed ad ædificationem uti) abutantur, nullus est qui ignoret. Non prohibeo (inquit quidam vir pius) dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem credita est: sed hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maxima culpæ pars resideat, qui, vel nulla vel minus legitima vel etiam ficta causa supplicatoriis precibus inferta, dispensationis testoriorum tandem eliciunt, quos apud Deum, qui renes & corda scrutatur, omnemque hypocrisim ac fraudem execratur, securos quis dixerit? Nemo tibi (ait idem ille quem jam citavimus) de dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam Divina sententia tenet alligatam. Sed, quia pauci sunt in quorum conspectu est Deus, plerique vero qui sacra autoritate pro sua libidine passim abutantur; fit, ut Lugdunensis Concilii, sub Gregorio X celebrati, non insalubre decretum, adversus insolentiam ejuscemodi hominum, in usum revocare cogamur: quo subnixi, cunctis, qui talibus diplomatibus sibi blandiuntur, necessitatem impone-

mus, literas suas Nobis exhibendi, visuris, num rite impetraverint, ac recte impetratis utantur. Et, ut quam maximè robustæ sint dispensationes istæ, curabimus tamen, ut menti Canonis ac summi Pontificis satisfiat: videlicet, ne animarum cura in his Ecclesiis, Personatibus, seu Dignitatibus, quas sub hoc prætextu occupant, negligatur, nec Beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur.

CAP. XXXIV. *In resignationibus ac permutationibus Beneficiorum, quæ cura adhibenda.*

Postremo, quum Nobis haud clam sit, in resignationibus permutationibusque Beneficiorum, multa ancipitia perjuria committi ab his, qui frequenter subito ac non præmeditati, aut ipsi aut per suos Procuratores (id quod ejusdem reatus ac culpæ est) jurejurando ante manus impositionem testantur, in hujusmodi resignationibus seu permutationibus nullam Simoniam labem aut aliam illicitam intervenisse corruptelam, cum res crebro longe secus habeat, per quod illi gravem in se Dei iram procul dubio provocant: majori cura, diligentiorique, quam antehac fieri consuevit, pervestigatione prævia, hæc juramenta recipi convenit.

CAP. XXXV. *Præstat, paucos esse bonos quam multos inutiles Sacerdotes.*

Et ut cum Divo Clemente hoc caput concludamus, Melius est Episcopo, paucos habere Sacerdotes ac Ecclesiæ ministros qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles qui onus grave Ordinatori adducant.

CAP. XXXVI. *De Visitatione ultimo loco dicendum.*

De Visitatione (quæ est altera muneris Nostri Episcopalis pars) hic dicendi locus non fuerit importunus. Expedientius tamen erit, hanc partem in ultimam harum Synodaliū institutionum classem rejicere, quod illic tractetur commodius majorique cum fructu, nimirum traditis jam atque expositis regulis, ad quas oporteat, veluti ad amussim quandam, Visitationem redigere, ordiri atque peragere.

PARS SECUNDA.

CAP. I. *De Officio privato ac publico, vitæque ac moribus Clericorum generatim.*

Qui exacte volet cognoscere Clericorum officium & vitam, is Divum Hieronymum ad Nepotianum, ac cæte-

ros Patres, non minus eruditione quam vitæ sanctimonia claros, qui de hac re ex professo justis voluminibus scripserunt, perlegat. Sat Nobis in præsentiarum erit, carptim quædam delibare, ex quibus Clerici Nostri summatim deprehendant, quam longe lateque à recta

semita

Ex Tol. c. unio. 10. q. 3.

Ex Conc. gen. c. de multa. de Prabend. & Dignit.

I Cor. 10.

Ber. ad Eug.

I Cor. 4.

Psal. 7.

Ber. ad Nepot.

Ex Conc. Lug. c. ord. de offi. ord. lib. 6.